

**Connubia florum Latino carmine demonstrata / auctore D. de La Croix, M.D.
; notas et observationes adjecit Richardus Clayton, baronettus.**

Contributors

La Croix, Demetrius de.
Clayton, Richard, Sir, -1828.

Publication/Creation

Bathoniae : Ex. typographia S. Hazard, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/gc98qhu6>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



31822/B

Ant

12895


LA CROIX, D. de


Regular issue


E7-8 cancelled

Correct wording on B6 and C2

Shorter errata list








Digitized by the Internet Archive
in 2016 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b28760086>





Hiltner. Del.

1

3

2

Barometris sive Janus Spathicus

P. 33

CONMULA FLORUM



NOTAS ET OBSERVATIONES

DE



BATHONIAE

TYPOGRAPHIA S. HAZARD



COMPTON'S PATENT

FOR THE

REPRODUCTION

OF WRITINGS

AND PRINTINGS

BY MEANS OF

THE

COMPTON

REPRODUCTION

SYSTEM

CONNUBIA FLORUM

LATINO CARMINE

DEMONSTRATA

AUCTORE D. DE LA CROIX, M. D.

NOTAS ET OBSERVATIONES

ADJECIT

RICHARDUS CLAYTON,

BARONETTUS.

BATHONIÆ:

EX. TYPOGRAPHIA S. HAZARD.

M.DCC.XCI.

MUSEUM FLORUM
12895

LATINO CARMINI

DI MONSTRATA

ACTORE D. DE LA CROIX M.D.

NOTAS ET OBSERVATIONES

ADJECT



RICHARDUS CLAV

BARONETTUS

BATHONIA

EX. TYPOGRAPHIA S. HAZARD

MDCCLXXI

T. WHITE, M. D.

PARVULUM HUNC LIBELLUM

(FRATRI

FRATERNO AMORE

OLIM DICATUM)

EADEM FIDE & ANTIQUA OBSERVANTIA,

DE NOVO EDITUM

D. D.

RICHARDUS CLAYTON.

T. WHITE M. D.

TAVANUM HUNC LIBRUM

(FRATRI)

FRATRENO AMORE

OMNIBUS

EADEN TIDE S. ANTONIUS OBSERVANTIA

DE NOVO EDITUM

D. D.

RICHARDUS CLAYTON

P R Æ F A T I O.

PRODIT iterum Libellus, cui Titulus est, “Connubia Florum,” abhinc plusquam sexaginta annos vulgatus. Auctor fuit D. de la Croix M. D, qui, morte abreptus, dum alteram operis partem meditaret, ei ultimam manum ad-movere nequii. Unicus, prout scio, sui Ingenii Fœtus, quem nobis reliquit, omiffis quibusdam Epigrammatibus quæ in Præfatione Vaillanti Botan : Paris : occurrunt, nec Parentis Famæ, nec Memoriam, ni fallor, Dedecori erit. Durâ tamen et infelici Sorte, Oblivione et Silentio obrutum fuisse ab Incunabulis videtur. Si enim nostrum

Episcopum Roffen.* Elegantiæ et Latinitatis haud iniquum certe judicem, excipiamus, et illustrem Albertum Haller, qui “Connubia Florum” in suâ Bibliothecâ Botanicâ tantum non oblitus est, perpau-
cissimi vel Auctoris vel Poematis usquam meminerunt. Ævi fortassè vitium fuit.—Habet enim unumquodque Tactum quasi sibi peculiarem, et Studia quodammodo consentanea, aliorum vel prorsus negligens, vel parum curans. Præclarè de
Naturâ

* I have sent you six Copies of a Latin Poem, writ by an Irishman here at Paris, which, in some Parts of it, is excellent, and approaches very near to the manner of the Verification of Virgil's Georgics. Pray give one to Dr. Wintle and another to Dr. Hales, a third to Mr. Nicoll, a fourth to Obby's quondam Tutor, a fifth to Dr. Frewin, and keep the sixth yourself. I add two more for Dean Swift and Mr. Pope.

Letter to Mr. Morice,
Atterbury's Correspondence, Vol. 4. 167

Naturâ differuisse Aristotelem, atque idem fecisse Theophrastum, Dioscoridem, et Plinium nemini latuit, nec me fugit multos† et nostrâ et Patrum ætate de eâdem optimè meruisse. Sed et rarum est hoc Hominum eruditorum Genus, et plerumque fit, ut hi fere omnes, de re medicâ plùs quam de botanicâ solliciti, ad Plantarum formas, earumque Virtutes explicandas, se totis viribus contulerint, dum Naturæ ignotas Leges, ejusque secretos sed certos Labores perscrutari rarò admodum conati sunt. Egregiè e longinquo de sexu Plantarum divinasse dicitur Millingtonus noster, quem secuti sunt Nehemias Grew, et Sebastianus Vaillant, licet Johannes Ray ob Eruditionem et mores pari-

B 2

ter

† Vid. Alberti Haller: Bibliothecam Botanicam, et Auctores Botánicos, quos sub Præsidio D. D. Car: Linnæi proposuit August Loo. Linnæi Amænit: Academ. Tom. v. 273. Ed. Erlang: 1788.

ter insignis, Hypothefin “ ut verifimilem tantum admifit.” Eadem apud Antiquos, eadem erat Plinii Sententia. Nihil de Plantarum sexu pro certo habuit, fed “ *Arboribus, immo potius omnibus quæ terra gignit, Herbisque etiam utrumque Sexum effe diligentiffimos Naturæ tradidiffe,” ait. In Ficu, et Phœnice, five Palmâ, et Marem et Fæminam extitiffe, et hanc mafculis Floribus† vel farinâ fæcundari minimè ignorabant, fed

* Plinii Hift. Nat. Lib. 13. Tom. iii. 65, Ed. Harduin. Quarto, 1685.

† Εἰσὶ δὲ σφι Φοίνικες πεφυκότες ἀνὰ πᾶν τὸ πεδίον, οἱ πλεῦνες αὐτέων καρποφόροι· ἐκ τῶν καὶ σιτία καὶ οἶνον καὶ μέλι ποιεῦνται. τοὺς συκῆων τρόπον Θεραπεύσει τά τε ἄλλα, καὶ φοινίκων, τοὺς ἔρσενας Ἕλληες καλέεσι, τοῦτον τὸν καρπὸν περιδέσει τῆσι βαλανηφόροισι τῶν Φοινίκων, ἵνα πεπαίνηται σφι ὁ ψὴν τὴν βάλανον ἐσδύνων, καὶ μὴ ἀπορ-

fed dum in iisdem et Quercubus, Tiliis, et Abie-
tibus sexûs utriusque diversitatem statuere,* exin-

B 3

de,

βῆν ὁ καρπὸς τοῦ Φοίνικος. ψῆνας γὰρ δὴ φορέεσι ἐν τῷ
καρπῷ οἱ ἔρσενες, καλῆπερδὴ οἱ ὄλυνθοι.

Nascuntur eis per campum omnem palmæ, pleræque fructife-
ræ; ex quibus et panes et vinum et mel conficiunt, easque colunt
ficuum more et tum in aliis, tum palmarum, quas Græci masculas
vocant, quarum fructum circumligant iis palmis, quæ dactylos
ferunt, ut illis maturet dactylum culex intrans, et non decidat
fructus palmæ. Masculæ enim in fructu ferunt culices, quemad-
modum caprifici.

Herodot. Lib. 1. 92. Ed. Weß.

* Adde quod Theophrastus de arundine dicit,

—δαιρῆσι γὰρ καὶ τῆτο τῷ ἀρρένι καὶ θήλει.

Quippe & hanc mare fœminâque distingunt.

Theophrast. Hist. Plant. Lib. 4. Ch. 12.

de, quod sane mirum est, nihil simile de cæteris Plantarum Speciebus sibi persuadere ausi fuere. Sæpe etiam apud eos Mares pro Fæminis, et Fæminæ pro Maribus habentur, ut in Historiâ Cannabis, Mercurialis, Spinaciæ, et Humuli facillimè adpareat. Stet suum cuique Decus, et

—Sint sua Præmia Laudi!

His tamen omnibus Vestibulum Templi Botanici secundis Pedibus tantum attigisse datum fuit, dum Linnæus, Aurora reverá altera Borealis, Penetralia et intimos Recessus illuminavit. Quam rudem et instabilem invenit molem, novo et solidiori fundamine fultam et firmatam reliquit, et Systema sexuale, si ejusdem Inventor haudquam dici potest, lucidioribus certissimè Argumentis, et Demonstratione Philosophicâ primus ornavit.

navit.* Sunt enimvero qui Plantarum Sexûs irri-
 dent,† multa obliviscentes incredibilia existimari,
 quia antehac incognita, vel auditu nova, quæ, si
 paulo accuratius explorentur, non modo non ab-
 furda, sed plana et certa reperiuntur. Pulcherri-
 mo Carmine Erasmus Darwin, M. D. nuper
 Plantarum Amores feliciter depinxit, sed neque
 inutilis, neque infructuosus Labor, ut spero, cen-
 feri potest, ab iis præsertim, qui hisce Studiis ca-

B 4

piuntur

* Tournefort a la gloire d'avoir fait le premier de la Botanique
 une Etude vraiment methodique, mais cette Etude encore apres
 lui n'etoit qu' une Etude d'Apothecarie. Il etoit reservé à l'il-
 lustre Linnæus d'en faire une Science Philosophique.

Lettres de Rousseau à Monf^r. Dutens.

Œuvres de Rousseau, Tom. 27. Edit. 8^{vo}. Geneve. 1782.

† Bauhin, Morrifon, Tournefort, C. Alston, Jul. Pontedera,
 Gul. Smellie, Abbas Spallanzani, &c. &c.

piuntur, si ad antiquiores fontes paululum accedere conemur. —

Omnia equidem in Poemate nostro nec probamus nec credimus. Dum melleam et exquisitam Latinitatem admiremur, ineptissimæ quædam Fabulæ occurrunt, et quo modo in Elegantiam pænè Virgilianam tot talesque nec Pueris dignæ Ambages irrepere potuerint plane nescimus. At, at,

————— Pictoribus atque Poetis

Quidlibet audendi semper fuit æqua Potestas,

Hor. de Arte Poetica. 9.

et per Regiones sibi forsan proprias jurè vagari Musis licitum fuerit. Quin liceat! Nos vero, nostri Auctoris Vestigia comitantes, non in iisdem semper Coloribus, nec in eâdem Luce ea ante Oculos nostros posita fuisse, de quibus Ratio est, fateri cogimur.

cogimur. Ixionis ad instar, nubem pro Junone, ut nobis videtur, nonnunquam amplexus est, sed de rebus et imaginibus, quas in vacuo et inani Spatio fibimet creare censuit, ubique dubitavimus.

MONITA.

И Т Е Р

Л Т И О М

M O N I T A.*

PLANTA est corpus organicum motûs ex se progressivi expers, quod alicubi per radicem alitur, crescit, viget, seque multifariàm potest propagare; five latentibus in mari scopulis adhærescat, ut Corallum; five petris extantibus, ut Muscus; five vagetur in aquis, ut Stratiotes in Nilo; five pululet ex humo, Rosa; five enascatur arboribus, ut Viscum-Quernum; five craniis inhumatis, ut Ufnea; five coris mucidis, ut probant microscopia; five demum in ipso aëre humido, ut Cæpe & Batatæ.

RADIX

* Auçtoris Monita, etiamfi parum commodè, et, quibusdam in locis, parum latinè scripta, relinquenda, tamen, censuimus, utpote a Lectore vel inter legendum corrigenda, vel omnino prætereunda.

RADIX describitur congeries tubulorum quibus succus nutritius excipitur per alios quidem trachearum oscillantium pressu in omnem plantæ habitum fluxurus, per alios verò ad radicem perenni circuitu refluxurus.*

UT durioribus in plantis truncus, ita in mollioribus caulis ramos, folia, flores, femina fert & alit.

CALIX est vulgò viride floris involucrum.

PETALA sunt colorata Florum tegumenta.

STAMINA

* Obsoleta est hæc Opinio, sed de eadem agitur ad
159———diversa redit per vascula præceps,
Radicemque petit succo miscenda recenti.

STAMINA sunt vasorum spermaticorum vaginæ cylindriformes, supernâ sui parte plerumque ampliata in apices, seu folliculos quos Auctor vocat Testes.

OVARIUM est ovi seu germinis, nunc unius, nunc multiplicis claustrum.

TUBA est appendix cylindrica ovarii infidens, & summâ sui parte vulgò in buccinæ morem patula.

PLACENTA est viscus glandulosum ovario proximè substratum, unde emergunt nunc unus nunc plures canaliculi funium instar umbilicalium suis singuli ovis aut embryonibus distribuendi atque inferendi.

SEMEN

SEMEN est plantæ compendium, ut in cæpis Tuliparum, & quernis Glandibus microscopia probant.

RADICULA feminis non differt à radice plantæ, nisi penès molem.

PLUMA est trunculus vel cauliculus cum suis appendicibus.

MAMMÆ sunt duo viscera glanduli-formia ex unâ parte cum radiculâ, ex alterâ verò cum plumâ communicantia, in quibus succus à radice devecus percolatur ac defæcatur, quo aptior alendo fœtui evadat; edito in lucem fœtu transformantur in duo folia inter se similia, sed à foliis postea nascituris diversa quæ lactentem plantulam alunt; sed ubi adolevit, & succis ipsa digerendis par est, spontè decidunt.

FLOS propriè nihil aliud est quàm ipsum generationis organum, estque vel mas staminibus, vel fœmineus ovariiis, vel hermaphroditus utrisque agnoscendus.

Omnis FLOS vel Calyce destitutus est, vel vestitus, undè incompletus est, vel completus.

Vel Apetalus, vel Petalodes; hic

Vel Monopetalus, vel Polypetalus,

Uterque vel regularis vel irregularis, vel simplex vel compositus, hic vel flosculosus, vel semiflosculosus, vel mixtus five radiatus.

HÆC esse duxi præmittenda, DIONYSI FRATER, ne quod vocabulum, Botanophilis magis quàm cæteris hominibus familiare, te legentem remoretur: exempla quoque suis quæque sparsim

in locis attuli, ut horis subsecivis, (si quas tamen tibi faciunt reliquas curæ in quibus jam confenuisti Sacerdotales,) ad manum habens, & non sine quodam sensu voluptatis evolvas hæc anniversaria Dei regnantis argumenta. Non te fugiunt gravissima rationum momenta, quæ, five ex animorum indole deprompta, five ex insitæ hominibus notitiæ fontibus derivata, five ex corporum cælestium perenni, semperque sibi constanti motu, & mirâ Universi pulchritudine repetita, five ex stupendo animalium mechanismo deducta, five ex Sacrorum Codicum fide accersita, præteritorumque sæculorum testimonio confirmata, Deum esse clamant, & nihil aliud quàm esse Deum diu noctuque prædicant. Ego verò Florum etiam artificio & architecturâ tangor, moveorque haud mediocriter: Florum artifex & architectus Deus diu te Patriæ Fratrique servet incolumem. Vale.

CONNUBIA FLORUM

D. DE LA CROIX.

CONSTITUTIONAL HISTORY

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

of the people of the United States, and the

[22]

CONNUBIA FLORUM.

QUÆ mentis natura foret, quæ fabrica rerum,
Quis-ve opifex primis quæfivi, FRATER, ab annis.
Multus erat dulcisque labor, nec inutile fensî,
Cartesiumque patrem & Neutonia castra secutus,
Mensa remetiri diverfis callibus astra. 5

Hinc adeo Floræ in campos formosaque regna
Votivum meditatûs iter ductore carebam;
Oblatus fed enim manifesto munere Divûm,
Ecce Machaonii fletit incola maximus Horti

Ante fores Vaillantus, eum Philomela vocabat 10

Ad nemora, in manibus scalpellaque vitraque centum,

Vulcani scalpella labor, sed vitra Minervæ,

Londino data vitra, negatum munus Athenis,

Vitra quibus Phœbi discat lux sparsa coire,

Vitra quibus culicumque oculi, & corpuscula rerum 15

Quantulacumque auctâ jubeantur mole videri.

Hoc duce (dextra foret Pallas) divortia Raiis

Invia, Malpigiis novissimam incognita cultris.

Vix etenim Vaillantum in luminis edidit auras

Flora parens, vix læta infans cunabula circum 20

Sensit odoratis Zephyros colludere pennis,

Cùm gestu peteret materna crepundia flores.

Concepit majora Puer, nunc ludus in hortos

Ire sub Auroram; nunc currere ludus in arva

Lustrandi plantas studio ; juvat ire per imbres, 25
 Per medias juvat ire nives, juvat ire per æstum ;
 Tantus amor varias florum internoscere gentes !

Carpentem flores observantemque per arva
 Sæpè virum Dryades studiis rivalibus actæ
 Optavere sibi, sed vincere digna tulisti 30
 Hoc, Bosonæa, decus, te prætulit omnibus unam :
 Floraque Vertumnusque probant, Pomona choreas
 Egit, & aspirant Zephyri plaudente susurro.

Callibus insistat veterum pede turba sequaci,
 Vulgaresque animæ, servum genus ; at sibi stravit 35
 Intactum Vallantus iter, quâ callidus arte
 Dirigat in flores etiam sua tela Cupido,
 Vidit, & herbarum detexit primus Amores.

Non olli objiciat livor post fata superstes,
 Quòd malè furtivis tentârit fulgere pennis 40
 Gracculus, aut manes violârit fraude sepultos.

Discite, Romulidæ miracula, discite Graii.
 Urit Amor plantas etiam fuus; accola florem
 Flos amat, inque vicem non dedignandus amatur.
 Ollis par ætas, par gens, par gloria formæ, 45
 Par dos, par animus, par didita flamma medullis,

Ergo cupidineas ubi persenserè fagittas
 Et Procus & Virgo, seu sint communia tecta,
 Seu variis habitent discreti sedibus ambo,
 Jungit eos Hymenæus, ovat cum matre Cupido. 50
 Aureus interea pennis trepidantibus inter
 Papilio lascivit apes, fit ludus in hortis,

Et

Et carmen geniale canit Philomela sub ulmo.

Si capiat domus una duos, dat pronuba fignum

Aurora exoriens. Fila obriguere. Dehiscunt 55

Folliculi. Volat aura ferax, tectoque reflexa

Præcipitat perque antra tubæ, perque antra placentæ.

Inde pares subiens tubulos vaga diditur ovis,

Ova tument, gaudet flos fœmina prole futurâ :

Hac gravidatur Ophris, gravidatur lege Papaver. 60

Sin diversa domus : flos masculus ante reclusis

Ædibus emittit sua dona, volatile semen

Excipiunt Zephyri, portantque curulibus alis

Conjugis in gremium : Conjux respondet amanti,

Absentique probat simili se prole marito, 65

Sic

Sic adeo Nili felicia littora propter,
 Difcretas perhibent connubia jungere Palmas;
 At si mense suo, cum floruit utraque fylva,
 Non spirent Zephyri, ramos niger ora Colonus
 Asportat quassatque mares; hinc fœmina turget, 70
 Daçtylus, hinc sequitur, non ultima Pæonis arma,
 Seu tuffes mulcere feras, & tormina ventris,
 Seu velit ad justos partum deducere menses.

Sic gravidata viret Coas Terebinthus ad arces
 Mille bona in morbos, cùm fylva obvertitur auftris. 75
 Ergo ubi fugit Hyems, ubi Sol revolutus ad Urfam
 Erigitur, spatiiſque axem discriminat æquis,
 Mane volant juvenes latifque haſtilibus altè
 Perfodiunt truncos, de vulnere balfama ſtillant,
 Balfama, quæ preceps niſi fugerit hora medendi, 80

Tabemque

Tabemque, scrophulasque abigant, renumque faburram.

Exin agricolæ truncos sub vere recidunt :

Ni faciant, nimiâ laticum sub mole laborant,

Innumeræ pestes, nodi, cariesque sequuntur,

Et sitiens moritur malè plenis fontibus arbor. 85

Non aliter pereunt Homines quos deside luxu

Inque epulis fomnoque juvat traducere vitam :

Principio exundant latices. Subit inde fagina,

Et vix limofus repit per vascula sanguis ;

Clauduntur sensim jecoris, renumque, cutisque 90

Ostia, vixque micant nervi torpente cerebro,

It cruor in vappam, nec longum tempus, & ecce

Ægri infelices, medici ni cura resistat

Tempeſtiva, cadunt ceu fulmine, sensibus orba,

Mens stupet, accerfitque citam mala copia mortem. 95

Hæc audita mihi, forsan tu visa requiras :

Est Planta inventu facilis, renum ostia pandit

Succus, & innocuis proritat moribus alvum :

Olli foeta nitro fedes placet, inde vetustis

Hæret Parietibus, ducitque à Pariete nomen : 100

Nubilis hæc florum tibi declarabit amores.

Namque alacer primâ sequerer cùm luce magistrum,

Sive Surenæos colles, Momoranciaque arva,

Seu Mauri lucos peteremus, amœnaque prata

Gentili, aut sporades quas Matrôna circuit undis. 105

Hoc si fortè genus gravior per mœnia fomnus

Prefferat, auroræ si tardi ad spicula flores,

Ille dolos meditans, & longo callidus usu

Stamina

Stamina follicitabat acu, fimul illa rigere.

Carceribus ruptis vitæ datur ire per auras 110

Spiritus, afflari latè ova, & pulveris imber

Marginibus lentus bibulis hæere tubarum.

Exin conceptos utero cupidissima fœtus

Mater alit, moriturque lubens, ubi vifa Propago

Grandior, extinctosque habilis renovare parentes. 115

Altera deinde parens tellus, ubi lapsa feraci

Semina concepit gremio, falibusque liquatis

Jam laxæ patuere viæ : vagus humor hiantes

Arietat in tubulos, vasa emollita patefcunt,

Et fenfim admittit segnes radricula fuccos ; 120

Illi ægro lenti motu enituntur in altum

Mille per infractus & inenarrabile textum

Ad positas utrinque, duo incernicula, mammas.

Inde laborati variis se in viscera plumæ

Ductibus insinuant, vitamque & pabula spargunt. 125

Parva latet primò, mox eminent herbula, versis

In folia uberibus, cœloque exultat aperto.

Quifquis amas flores, cave, barbara dextra trucidet

Hæc folia ante diem, nutricibus orba periret

Herbula, & incassum speret sibi ferta colonus. 130

Interea Pluviæ, Rores, Zephyrique fecundi

Surgere dant teneram studiis certantibus herbam.

Intima sunt Pluviæ, sunt extima Balnea Rores,

Terra bibit pluvias, illæ radicibus imis

Exceptæ in truncum ramosaque brachia portant 135

Aërios

Aërios latices, Cœlique volatile nitrum
 Illapfi per cæca cutis spiracula Rores
 Dant succis animos, & vasa rigentia laxant.
 Mille modis dociles lascivo flamine ramos
 Exercent Zephyri, quo fibræ legibus æquis 140
 Accipiant vitam, & transpiret inutilis humor.

Ac veluti, quoties spirarum amplexibus arctis
 Porrigitur, summâque inam cor parte refugit,
 Sanguineum elidens amnem vomit, ille repenti,
 Quà fuga, dives opum ruit: oscillantia vasa 145
 Torrentem, scisso de gurgite vascula rivos
 Accipiunt truduntque, it cunctos vita per artus.
 Ast ubi purpureus languet Mæander, eundo
 Factus inops, redit in gyrum, cordique premendus
 Redditur, inde cibus expresso lacte reflectus 150

Vitales renovat pede liberiore choreas.

Haud aliter succos ut hiansque premensque vicissim

Vere novo bibulis haufit radicibus arbor,

Fit via vi, tortis per viscera callibus humor

Tollitur in sublime, fluentes undique rivi 155

Truncum animant, ramosque avidos, frondesque bibaces ;

At pars quæ faturis nescit coalescere fibris,

Quæque nequit luctans exire per ostia libri,

Extrorsùm diversa redit par vascula præceps,

Radicemque petit succo miscenda recenti. 160

Dat Sol dat stimulos, motum inchoat, adjuvat, auget,

Namque calens arctis fruticum in pulmonibus aër

Æstuat, & rapitur spatia in majora ; premuntur

Cum tubulis latices, pressique hac arte docentur

Haud

Haud interruptos describere curfibus orbes. 165

Est ubi prætereà tingit sua purpura succos,

Itque cruor nostro similis, qui Caspia fulcant

Æquora, sive legant spumosa Boristhenis ora,

Sive petant Asiam velis, & Colchica regna.

Hinc atque inde stupent visu mirabile Monstrum. 170

Surgit humo * Borames. Præcelso in stipite Fructus

Stat Quadrupes. Olli Vellus. Duo cornua Fronte

Lanea, nec defunt Oculi, rudis Accola credit

Esse Animal, dormire die, vigilare per umbram,

Et circum exesis pasci radicitus herbis : 175

Carnibus Ambrosiæ sapor est, succique rubentes,

D

Posthabeat

* Agnus Scythicus.

Posthabeat quibus alma suum Burgundia Nectar ;
 Atque loco si ferre pedem Natura dedisset,
 Balatu si posset opem implorare, voracis
 Ora Lupi contrà, credas in stirpe federe 180
 Agnum equitem, gregibusque Agnorum albescere colles.

Hoc è fonte fluit, me iudice, fabula Graium ;
 Hæc olim æripedes Tauri, vigilesque Dracones
 Vellera servavere, hac ibat dote per undas
 Medea, his visus renovari fructibus Æson, 185
 Et succo præsentè Senex revocasse Juventam.

Non hæc sola probant similes Animalibus herbas,
 Aspicias ut nullâ Stratiotes sede moretur,
 Nilum amat, & nando sibi pabula quærit in undis.
 Tacta levi digito Mimosa repentè refugit, 190

Contrahitur

Contrahitur trepida, & flexis se frondibus abdit;

Sublato mox illa metu Soli explicat alas,

Est flos dictus Amor, nec rem levis afferit Auctôr,

Intra Anni Solisque vias, nec maximus Atlas

Hæc loca, nec viridis fylvarum objectus obumbrat; 195

Formoso rubet ore pudor, sed pessimus Afer

Nutanti placidos Phœbœi ad fyderis ignes

Objiciat si fortè dolos impuraque fata,

Barbaricam intendens vocem, istius inſcia culpæ

It virgo in furias, ſciſſi jacuere capilli, 200

Vitaque ſancta fugit probrum indignata ſub auras.

Sed quid ego peregrina ſequor, cùm Gallia nutrix

Prodigium majus vati offerat, eja age, Muſa

Hic animis opus, hic deceat te fundere carmen,

Quale dapes inter velit ipse fonare Garumna, 205
 Quale fonant Angli, Batavi poſt dona Garumnæ ;
 Quà ſtrepit, ac tumido ſe volvit Heraltius anne,
 Leſperus aſſurgit Floræ facer, hîc Dea primum
 Induitur vernam Clamydem, de more quotannis
 Huc ducit Medicina ſuos viſura fororem 210
 Diva Deam, hîc Hebe legit aurea ferta Tonanti,
 Improbus at fonipes ferrato ſi pede ſacris
 Audeat inſultare jugis, hoſtem herba petulcum
 Impetit, auxilio veniunt hinc inde Sorores ;
 Nec mora, nec requies, ſtetit ungula donec inermis. 215

Non tamen in plantis mihi quiſquam ſuadeat Auctôr
 Eſſe Animam Senſumque, Homini data munera ſoli ;
 Herba, Frutex, Arbor, nihil eſt niſi Machina, textum
 Eſt varium variis, eſt admirabile cunâctis,

Vafra canaliculis junxit Natura canales. 220

Pars rectum fibi legit iter, pars tramite curvo

Mille per ambages nunc huc, nunc flectitur illuc,

Infima, fumma petens, plantamque obliqua pererrat;

Mille laborati per vafa regentia prelis

Hic rapido furgunt, alibi lento agmine fucci. 225

Adde Potestates varias Cœlique Solique

Et Lymphæ nutricis opes, quæque Ætheris alti

Fornice denfa cadit, quæque intra viscera Terræ

Fœcundos prædata fales, medicata fodinis,

Tollitur in fontes, & eundo repit in herbas, 230

Dives Abyffino descendens vertice Nilus

Gurgitibus rapidis limumque natrumque volutat,

Spem fufci Agricolæ. Stratiotes remige fluctu

Defluit, atque vagis potat radicibus amnem ;
 Inde alitur, Sobolemque creat natalibus undis 235
 Gratus ubique Hospes, caufarum hinc nefcia verum,
 Credidit esse Animal motu fallente vetuftas :
 Remigio tali vivæ quandoque paludes
 Sedibus exiliiffæ fuis, perque arva moveri.

Momoniæ in pratis Limerici mœnia propter 240
 Impete præcipiti latrantum fubter aquarum,
 Sive falò venere, ruant fub montibus altis,
 Eruta deferuit dominum, pontoque tetendit
 Infula. Tantalides arfit poffeffor in iras,
 Confequitur fugientem, & juffa eft dicere caufam, 245
 Sed Dublinæo vicit fugitiva Senatu.

Audomarum contra fic nant Delphinia Contis

Ambæ

Ambæ cespitibus præsignes, frontibus ambæ,
Seque errabundæ fociant per stagna Sorori.

Mimosæ labor est Naturam aperire latentem, 250

Sed tentare juvat; Musæ, aspirate canenti,

Articulis distincta suis gerit omnia Membra

Sic trunco radix divinâ necitur arte,

Sic ramis truncus, sic rami frondibus hærent;

Mobilibus stupeas nexa internodia fibris. 255

Ergo inclinato cùm nutant poplite rami,

Quà partes junctura ligat procedere succos

Vasa velant constricta, hinc ægra it vita per artus,

Semianimesque suo procumbunt pondere frondes,

Ast aër tubulis frænum indignatus in arctis, 260

Et vires succorum objecta repagula vincunt,

Mimosæ redeunt Animi, collapsa refurgit

Lætior, & victrix plaudentia fuspicit Aftra,

Nec te Gætuli fallant miracula floris,

Obvia caufa: nigris ubi Delius imminet Afris, 265

Terra fitit, lentus foliorum evanuit humor,

Vixque fuis hæret compages arida vinclis;

Vociferans tonat Afer, it impete concitus aër,

Impulfu ceffere retrò ramique comæque,

Dum redeunt, fonus ingeminat, certatur utrinque, 270

Vis quatit hinc major, minor obftitit inde, fatifcunt

Stamina fibrarum, & traxere foluta ruinam.

Sic tonuit furiale ruens Vulcanus ab Arcto,

Anglus ubi ignitis obfedit claffibus arces

Maclovias, tremuere undæ, concuffa domorum 275

Fundamenta, imo caput abdidit æquore Nereus.

Sic,

Sic, Picarda phalanx ubi per dejecta Namurci
 Mænia vicit iter, clangore repentè tubarum
 Audito pallere hostes, trepidare fenestræ,
 Vitra sono cecidere. Manu jacuere Sicambri. 280

Accipe Lesperio quæ sit vis infita monti.
 Flant geminæ adversis Cæli de finibus Auræ ;
 Hæc petit Aura Notos, septem petit illa Triones,
 Particulæ tortæ in spiras, sed dispare flexu,
 Hæc versæ in Zephyros, illæ vertuntur in Eurum, 285
 Quæque tribus signata striis. Stat pandere causam,
 Linquamus Terras humiles, juvat ire per Astra.
 Sunt Stellæ totidem Soles, lucentque calentque,
 Bullit Stella, vomit fluvios, hi vorticis oras
 Tranfiliere, Polosque adversi turbinis intrant. 290
 Segnius aërios percurrunt Fulgura tractus,

At

At dum per globulos Axem quàm pigrior Æther
 Unda legit, mediumque laborat tangere Solem,
 Languidior cursu, & defessa ambage viarum,
 Amisit paulatim Animos, mox cogitur, inde 295
 Vel gluten possit liquefactave cera videri.

Intereà globuli per claustra triangula gluten
 Segnius admissum radiis sculptoribus usque
 Tres tribus obsignare striis, ac tramite recto
 Detorquere sequax, & eundo fingere spiras, 300
 At spirent Venti licèt in contraria, discors
 Frater amat Fratrem, inque usus conspirat eisdem.

Illi adeo cùm luce suâ spoliata doleret
 Terra parens, pulloque recens squalleret amictu,
 Dum maculæ flecti dociles & cerea crusta, 305
 Affines sibi quisque vias fecere per Axem,

Et

Et rectis fugerent æternùm callibus ambo,
 Ni densæ obstarent Nebulæ, vel crassior Aër,
 Vel contrà veniens fessam Aura repelleret Auram.
 Ergo acti in gyros per Terras, Æquora, Cælum 310
 Tellurisque Polum repetunt quem quisque petivit
 Advena mox relegunt vestigia, fingitur ille
 Inventum Francorum & Nautæ regulà vortex.

At dum lassâ redit variis erroribus Aura,
 Si via liberior chalybum occurrere fodinæ, 315
 Magnetum-ve strues, vel planta his fæta, vel illis,
 Huc detorta ruit, calles exorsa priores.

Lespere, plaude tibi, dant hæc tibi flamina Nomen,
 Nam celeri pede cùm ferri subiere fodinas,
 Continuò fugiunt quâ per spiracula montis 320

Evehitur

Evehitur fugiens chalybum Vapor, inde per herbas
 Didita vorticulos illecta meatibus aptis
 Fingere amant, quales Templorum in Turribus altis
 Acquirit longo Crux ferrea tempore, quales
 Affrictu Magnes acubus dat habere marinis. 325

Inclytus haud aliis bellatur Lesperus armis,
 Quippe ubi ferratis violatur calcibus, ecce
 Vorticuli totis connixi viribus omnes
 Irruere in chalybem, discedere protinùs Aër
 Fornicis in morem, at quà neçtitur ungula ferro, 330
 Ponè latens Aër refilit jam liber habenis,
 Arietat in chalybem valido impete, nec mora clavos
 Trudit equo mirante, refixaque decutit arma;
 Usque adeò miris stant Corpora nexa catenis
 Omnia, sic Opifex voluit qui Sydera, Terras 335

Connubio

Connubio stabili florum de more maritat.

Nunc florum sexus quæ monstrent signa docebo,

Forfitan hæc, Frater, tibi sunt placitura legenti.

Servat ubique suum constans Natura tenorem,

Omnia quæ Prolem generant, genus omne virile, 340

Fæmineum genus omne suos armantur in usus.

Ergo etiam & Plantæ gaudent genitalibus armis,

Et sunt omnigeni totidem genitalia flores.

Sed Petala & Calyces florum non dignor honore,

Quidquid in adversum vulgus crepat, ecce palustris 345

Nuda Typha est Petalis, ea Tegmina Fraxine spernis,

Graminaque, Triticumque, & equorum robur Avenæ,

Oderunt Betæ Calyces, odere Tulipæ,

Liliaque, & grave-olens Atriplex, capitisque Veratrum

Pernicies,

Pernicies, pulchrumque rubens Amaranthus in hortis, 350
 Et plures, fudo quàm fuspicias Æthere Stellas.

Si varios igitur Flores expendere geflis,
 Vel fola occurrent abeuntia ftamina testes
 Sæpiùs in geminos, vel fola ovaria cernas
 Enatis fuppofta tubis, impofta placentis, 355
 Aut ambo junctâ invenies: filamina geftat
 Cannabis hæc florens, ovaria Cannabis illa,
 At fociata ferunt Jafminum, Althæa, Rofæque:
 Nunquam ego flamineos vidi fobolefcere flores,
 Poft Venerem exhalant Animas, exinde domorum 360
 Fornicibus mœftis exanguia Corpora pendent,
 Aut per agros paffim volitant ludibria ventis.
 At vidua extinctos renovant ovaria Patres,
 Inde genus redivivum, hinc furgit poftluma Proles;

Si

Si tamen ante diem, si tædas ante jugales 365

Castaneæ (miserum) fuccîdat flamina quisquam,

Stamina discretis semper nascentia ramis,

Accola connubii spe lusa absumptaque luctu

Tabuit, ac sterilis moritur, ni fortè remoti

Detulerit Ventus gravidantem conjugis Auram. 370

Sæpè hæc errantes ignota per Æquora Nautas

Aura regit, Portusque jubet sperare propinquos.

Ibant Hispani velis audacibus ultrà

Herculeas longè Metas, Solemque cadentem,

Hortator Columba viæ; dat classibus Euros 375

Æolus, & lætis prælucent ignibus Astra.

Mirantur fummo gradientes Æquore Sylvas

Dorides Occiduæ, mirantur Puppibus altis

Dispositas

Dispositas ad pugnam acies, fluitantia Signa,
 Æraque cum tonitru jaculantia faucibus ignes. 380
 Ecce autem plenos Phœbe jam septima vultus
 Induerat, posuitque; Ceres consumpta, Lyæi
 Munera defecere: incassum suspicit astra,
 Despectat Palinurus Acum, Cœlum, Æquor ubique.
 Protinus in furias agitur cum Remige Miles, 385
 Ductoremque, nefas! malo alligat: ille Minervâ
 Plenus ait, fensi Flores, contendite remis,
 In manibus Terræ. Volat Æquore concita Classis.
 Apparere procul Montes, assurgere Campi;
 Vix portum tetigere rates, dat Flora Corollas, 390
 Columbamque suum donis gemmantibus ornat.
 Hinc adeo Floræ de nomine Florida mittit
 Suave-olens Safaphras, parat hinc quandoque liquorem
 Nectareum, præfertque epulis Cytherea Deorum.

Sed

Sed mihi digressæ redeant ad pensa Camœnæ. 395

Ergo fœmineus Flos est, vel masculus omnis,

Vel genus hinc mixtum. Si quandò apparet in Hortis,

Luxurie Petalorum, & odoro insignis amictu,

Quem neque Fœmineis Maribusque, nec Hermaphroditis

Annumerare queas Florem, de gente Spadonum est, 400

Vel Monstrum infelix, Naturæ devius error,

Malvarum sæpè est, sæpè est Fortuna Rosarum;

Nam dum omnes rapiunt Petala infidiantia fuccos,

Stamina degenerant formas oblita priores.

Embryo vitali fraudatus Nectare, sensim 405

Languescit moriens, sequiturque heu! floris Abortus.

At fatis haud fuerit florum distinguere Sexus,

Addere cuique super signum gentile memento.

E

His

His adfunt Calyces, ollis Natura negavit :

Hic picturatis non curat in Ædibus ævum 410

Ducere, dum Zephyris se proluat, ille coruscans

Ambrosiæque fatur, natali vivit in Aulâ

Quæ vincat candore nives, præfulgeat ostro,

Rivalem jubeat se condere nubibus Irin.

Est genus haud simili ingenio, non audeat Astris 415

Ferre caput, vitæ metuens, ni providus Auctor

Et Petala & Calyces duo dædala tecta dediffet,

Ad frigus nimium, nimios munimen ad æstus.

Hac de gente Phalanx furgit numerosa, sed omnes

Eminet una super, mœstiffima * Granadilla. 420

Te,

* Flos Passionis.

Te, Frater, te novi etenim, Flos ille movebit :

Ut vidi, ut stupui ! medio stat flore Columna

Nescio quid ferale minans, in vertice Clavi :

Malleus haud longè pendet crudelis in ictum :

Texta velut spinis parte inferiore Corona 425

Se se oculis offert tricolor, tabumque, cruorque

Et livens pallor Lethi propioris Imago :

Tum mihi sacrilegas Solymæ insultantis ad Arces

Sistitur infami pendens Deus hostia ligno,

Unius ob noxam, furiasque rebellis Adami. 430

Indicat & varias Petalorum Copia gentes.

Se gens hæc uno vestit, se pluribus illa.

Aspice quos habeant vultus Boheravia, Malva,

Nec Petalis idem locus est : pars margine summa

Inclusi floris medium complectitur Axem. 435

Hæc vos forma juvat Crambe, Campanula Thlapfi;
 Pars abnorme genus, discordem nacta figuram,
 Hinc à flore minùs, magis exlex inde recedit,
 Et circum diffusa tubas ac flamina vallat.
 Salvia sic Medicis, livent aconita Novercis; 44°

Ast alia in centro rutilum fortita cubile
 Acclines tergo gestant testesque tubasque.
 Sic floret pratis gavisa palustribus Iris,
 Hydropas contra & tusses medicamen anhelas;
 Ter vidi has pestes; ægro ter profuit Iris. 445

Haftenùs explicitus flos est mihi carmine simplex,
 Nunc tibi compositos perstringam ex ordine flores,
 Namque fui totidem Calyces si millibus adfunt,
 Mille etiam denfi Calyce involvuntur eodem:
 Gens brevibus contexta tubis glomeratur in orbem 45°

Spinofæ

Spinosæ in morem Cynaræ. Gens ora biformis
 Cichoreum dixere: humiles flos quilibet imâ
 Parte refert tubulos, sed plana vel aspera fulcis
 Lingula fit super; hæc extat, vel recta, recurva-ve,
 Exerto nunc dente minax, nunc secta profundùm; 455
 At geminam hanc radians gentem complectitur Aster,
 Sacraque virginibus Caltha, & tua Phœbe Corona,

His super arrepto monstrabat tempore Ductor
 Quæ Calyces structura juvet, quæ forma Placentas,
 Quæ placeant foliis, cauli, radicibus, ora: 460
 Ordine quo surgunt flores, quo femina ritu
 Pluraque divino vix enarranda Maroni.
 Hinc adeò longos habuit Fagonis amores
 Regum qui Medicos tantum superaverat omnes,
 Laurigero quantum Lodoicus vertice Reges. 465

Hinc focium adscivit cupidis Academia votis,
 Illius hinc magnum volitavit fama per orbem,

 Vidi ego floriferos Spectacula rara per agros,
 Mille aderant Medici variis è finibus orbis,
 Quique Istrum, Tanaimque bibunt, Tamesinque Tagum-
 que, 470
 Et misti Suecis Itali, Erigenæque frequentes,
 Acre genus bello, studiis genus acre Minervæ,
 Devotumque mori pro Rege fideque tuendis.
 Exultant primam ante aciem, & sua Lilia quassant
 Dilecti Phæbo juvenes, quos alma creavit 475
 Gallia, perfugium exilii & spes ultima Regum.
 Addiderant comites se Graia quot agmina castris
 Bellantur Medicina tuis, vectique per undas
 Peruvii, veniensque plagis Armenus Eois.

Sed nihil, heu nihil est ex omni parte beatum, 480

Ecce manus tonfrix, vacuis emissa tabernis,

Ponè sequebatur, sed mente haud itur eâdem.

Imus discendi studio, Turba illa canendi,

Aut importunis rumpit garritibus aures.

Quis concursus io? Regem sic undique circùm 485

Cum fucis glomerantur apes, ubi Vere recenti

Signa canunt, atque ille petit convivia Floræ.

Agmina convenere. Locum docet. Imus in arva,

Tum Dux oblato subsistens flore profatur

Designans genera Herbarum Viresque medendi, 490

Pendebant ipsi dicentis ab ore Sherardi,

Sequana converfis cursum obliviscitur undis,

Miratæ steterant Dryades, stupet ipsa Diana ;

Namque docebat uti tenerâ sub origine mundi

Semina plantarum compendia finxerit Autor 595
 Lux sua, lexque Deus; concepit germina Tellus
 Virgo finu, crescunt Fœtus, & tempore jusso
 Flos hic erigitur, flos pullulat ille sub Auras;
 Hospitibus lætata novis dat Cynthia lucem
 Clarior, attonito dat lætior Æthere Titan; 500
 Sparferat ova Deus, sed in ovis abdidit intùs
 Ovula mortales longè fugientia vifus,
 Ovula quot pelago Doris, quot Naias in undis,
 Quot Dryas in fylvis, quot Oreades atque Napeæ,
 Quotque Ceres Campis, & quot Pomona per Hortos, 505
 Hac aluere tenùs, vel alent per Sæcula Plantas:
 Omnibus indiderat vires ad Commoda Vitæ.
 His Morbi ceffere, Dapes ornantur ab illis;
 Agnoscas in utrisque Deum. At quid sciffa Coronam
 Flora gemit, Nymphæque ululant? Vaillante, periffi! 510

Floribus

Floribus eripitur suus *Œdipus*, heu! brevis ævi.

Non ego, non posthac lateri comes additus, arva

Te duce lustrabo, non erudiente docebor,

Non spoliis Nemorum dives sub Nocte redibo,

Hei mihi credideram fore te quo sospite lucem 515

Æternam acciperet florum *Dea*, quo duce ferret

Audaces secura gradus *Medicina* per orbem,

Præcipitisque fugam vitæ tardaret in ævum.

Ille quidem moriens, Cœloque intentus, amatum

Ante alios florem, & *Mortis*, quâ vivimus omnes, 520

Lustralis specimen, te, *Granadilla*, tenebat

Deficiente manu, te pallida labra petebant,

Errantesque oculi, te profiliente rigabat

Imbre pio lachrymarum, expiravitque rigando.

Plectra manu cecidere, hinc poscit Epistola finem ; 525

Altera quam meditor, Fratrum optime, plura docebit.

NOTE

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

NOTES & OBSERVATIONS

NOTÆ & OBSERVATIONES.

1. *QUÆ mentis natura foret, quæ fabrica rerum,*

Hujusce Poematis maxima Pars extat in Præfatione Vaillantii Botan. Parisiis, quod mecum communicavit eruditissimus T. Velley, et, quod mirari restat, sub nomine Mac' En Croix. Epigrammata D. de la Croix sequuntur, quæ memoravi. Vaillantii Botan. Parisiis. prodiit Londin. 1723. Connubia Florum Parisiis. 1728, sed utrum Mac' En Croix fraternis Coloribus splendere voluit, vel D. de la Croix Fratris opusculum auxit, et de novo refinxit, dubitare admodum licet. Sic equidem Res se habet; de ea judicet Lector.—

Non nostrum——tantas componere lites.

Virg.

10. —— *Vaillantus,*

Sebastianus Vaillantus cujus Botan. Paris. prodit Londin.

1723, et Differtatio de Structura Florum, quam Anno 1717
ex Cathedra dedit, latine reddita Lug. Bat. 1728.

17. ————— *Raiis*

Egregius noster Nat. Historiæ Scriptor, quem nec Sciolus
Botanicus ignorat. Epitaphio sequente haud male tuentur
talis Animæ Virtutes.

Eruditissimi Viri JOHANNIS RAII, M. A.

Quicquid mortale fuit

Hoc in angusto Tumulo reconditum est,

At scripta

Non unica continet Regio :

Et Fama undiquaque celeberrima

Vetat mori.

Collegii SS. Trinitatis Cantab. fuit olim Socius,

Nec non Societatis Regiæ apud Londinenses Sodalis,

Egregium utriusque Ornamentum.

In omni Scientiarum Genere,

Tam divinarum quam humanarum

Verfatissimus :

Et

Et sicut alter Solomon (cui forsan unico secundus)

A Cedro ad Hyssopum,

Ab Animalium maximis ad minima usque Insecta

Exquisitam nactus est Notitiam.

Nec de stantis solum quæ patet Terræ Facie,

Accuratissime differuit,

Sed et intima ipsius Viscera sagacissime rimatus,

Quicquid notatu dignum in Univerſi Natura

Descripsit.

Apud exteras Gentes agens,

Quæ aliorum Oculis fugerant, diligenter exploravit,

Multaque scitu dignissima primus in Lucem protulit.

Quod superest, ea Morum Simplicitate præditus,

Ut fuerit absque Invidia doctus :

Sublimis Ingenii,

Et (quod raro accidit) demissi simul Animi et modesti.

Non sanguine et Genere insignis,

Sed (quod majus)

Propria Virtute illustris.

De Opibus Titulisque obtinendis

Parum folicitus,
 Hæc potius mereri voluit, quam adipisci :
 Dum sub privato Lare sua Sorte contentus,
 Fortuna lautiori dignus confenuit.
 In rebus aliis sibi Modum facile imposuit,
 In Studiis nullum.

Quid plura ?

Hifce omnibus

Pietatem minime fucatam adjunxit,

Ecclesiæ Anglicanæ

(Id quod supremo Habitu confirmavit)

Totus et ex Animo addictus,

Sic bene latuit, bene vixit Vir beatus,

Quem præfens Ætas colit, Postera mirabitur.

Nat. 29. Nov. 1628. Ob. 17. Jan. 1705-6.

18. — *Malpigiis.*

Marcellus Malphigi, summus prioris Sæculi Medicus, et
 Anatom. Scient. Professor. Natus est 10. Mart. 1628, obiit

29 Nov-

29 Novem. 1694. Ejus opera extant Londin. 1697. amplius et accuratius Amstel. 1698.

25. ——— *juvat ire per imbres,*

Per medias juvat ire nives, juvat ire per Æstum.

——— *juvat ire per alta*

Astra, juvat terris & inertis sede relictis

Nube vehi :

